

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

**Melanchthon, Philipp
Aristoteles**

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

Abschnitt

urn:nbn:de:bsz:31-106587

EPISTOLA.

CLARISSIMO VIRO EQVESTRIS
 ordinis, Rectori Academiæ Vitebergen-
 sis, Vrrico Schilling, compatri
 suo, Philippus Me-
 lanch. hon

S. D.

QUum in Magistratum tuum inciderint &
 enarratio, & editio Quinti libri Ethicorū,
 duci has de Iusticia disputationes tibi præ-
 cipue dedicandas esse, quod maxime pertinet argu-
 mentū ad Magistratus, quos hic noster Aristoteles
 sapienter appellat iuris atq; iusticiæ custodes. Et tu
 Magistratum ita gessisti, ut nō solum honestissimam
 iusticiæ famam, sed etiam difficillimū est, parem gra-
 uitatis atq; humanitatis laudem consequutus sis. Li-
 benter igitur hunc libellum è græco conuersum, tibi
 inscripsi, ut hoc officio quasi testimonium bene ad-
 ministratæ Reipub. tibi darem. Ad hæc quum & na-
 turæ bonitate ad amandam colendamq; iusticiā du-
 caris, & literis ac doctrina ita institutus sis, ut hæc
 Philosophiæ studia præclare intelligas, & mirum
 in modum amēs: non dubitavi, quin magnæ uolupta-
 ti futurum esset tibi, uidere ueram iusticiæ effigiem
 in hoc scripto, eamq; melius alquanto expressam,
 magisq; expolitam, quàm qualis uulgo in scholis cir-
 cumferatur. Neq; uerò facile dixerim, quanto cū la-
 bore

A E P I S T O L A

bore uerterim hunc librum è græco. Sed id existi-
 mandum his relinquo, qui in eodem genere aliquan-
 do periculum fecerunt, ac norunt, quàm difficile sit
 tam exilibus ac minutis sententijs addere lumen &
 perspicuitatem in lingua latina: quod quidem me
 ubiq; consequutum esse, non ausim prædicare. Non-
 nulli in uertendo in locis parum intellectis, de suo
 affingunt autoribus nouas sententias. Alij non in-
 tellecta reddunt ambigue, ne deprehendi queat in sci-
 tia eorum: quorum alterum impudentis est ingenij,
 alterum, quod meo iudicio etiã flagitiosius est, per-
 uersi atq; astuti. Ego uerò, & si nõ superstitione an-
 numerari uerba uerbis, tamẽ eam fidem, quæ in in-
 terpretibus præcipue requiritur summo studio præ-
 stiti, ut germanam autoris sententiam reddere cona-
 rer, idq; quàm maxime planè ac dilucidè possem.
 Quid autem assequutus sim, iudicium erit doctorũ.
 Non enim permitto iudicium de hoc genere ineptis
 illis, qui uulgo perhiberi Aristotelici uolunt, quum
 nulla liberali doctrina instructi sint, qui tantum ab-
 est, ut Aristotelem teneant, uix ut umbram eius pro-
 cul aspiciant. Quo autẽ consilio hunc libellum præ-
 cipue uerterim, non ignoras. Habet enim disputatio-
 nes quasdam plenas suauitatis, & ad uitam in pri-
 mis utiles: quare quum uellem cum quàm familia-
 rissimum fieri iuuenibus, ita conatus sum uertere, ne